

esse damnatos. Spelmannum consule inter Concilia Orbis Britannici, & Labbeum in Collectione Conciliorum. Dargentæ animadversionem addere hoc loco præstat: „Manifestum est, inquit, in Octavo Articulo sententiam S. Thomæ de una substantiali forma hominis, qui animus sit ad informandum corpus, destinatus, enunciari: quæ quidem temere improbat a Pekamo. Reliqui autem articuli, partim con-  
„sectarii sunt hujus propositionis, (qui nempe differentiam enuntiant inter hominis corpus vivum, & mortuum):  
„partim falso impositi (cujusmodi sunt, in quibus eadem absolute ac universim differentia statuitur inter vivum  
„Christi corpus, & mortuum.) Quare hoc iudicium Joannis Pekam, cui Oxonienses Magistri, tum Ordinis  
„Fratrum Prædicatorum, tum aliarum Familiarum, palam contradixerunt, nullam obtinuit auctorita-  
„tem.“ Ampliora dabimus sequente in Admonitione.

IV. Veterem hanc adversus Thomæ dogmata cantinellam ævo sequiore instaurarunt censores alii. Pro-  
„dit siquidem (inquit Sylvius loco citato) anno superiore (1623.) liber Apologeticus pro Scoto,  
„Scotique vindice: in quo hujus Beati (Thomæ) doctrina mirifice sagillatur, & traducitur; quasi vero  
„non potuerit Auctor Scotum extollere vel defendere, nisi Thomam deprimeret.“ Hostem pro meritis  
castigat idem Sylvius in Oratione Apologetica Duaci anno insequente 1624. habita. Succedit Petrus de  
Alva, & Astorga, qui pluribus editis opusculis acerrimam pugnam movit: illudque recentere hoc loco  
satis fuerit, quod inscribitur, *Nodus insolubilis de conceptu mentis & ventris*, typis editum Bruxelis anno  
1662. apud Philipum Uleuger, pugnam egregie sustinuerunt pro Aquinate Franciscus Janssens Elin-  
ga, Vicentius Baron, Bernardus Guyard, Seraphinus Piccinardus, alique. Festivum denique non præ-  
termitto commentum, quod Joannes Baptista Poza excogitavit in *Elucidario Deiparæ*, ejusdemque operis  
Apologiis. Notam inurit ille nullam Aquinati, dogmatibusque ejus, quæ vel ore dictavit, vel calamo  
scripsit: at in ejusdem tamen opera plurimas contendit irrepsisse theses, vel prelo errante, vel amanuen-  
sium oscitantia, vel interpolatricis manus fraude, quæ aut falsæ dici debeant, aut erroneæ ac damnatæ ab  
Ecclesia, aut alienæ à communi Doctorum sensu. Edita ab hoc Auctore opuscula nemo nescit, proscripta fuisse  
à Romana S. Officii Congregatione, & Inquisitione Hispanica: pluresque jam profiant à Doctissimis Vi-  
ris adornatæ vindiciæ.

V. Præcipuos memoravimus Thomæ dogmatum hostes: armaque indicata sunt, quibus ipsi pug-  
narunt. Præcipua quænam sint ea Aquinatis dogmata, quæ bilem commoverint, proferre mihi liceat,  
eademque iteratis vindiciis pro mea virili tueri. In censura Guillelmi Parisiensis Episcopi, inquit, no-  
nus damnatus articulus his verbis effertur: *Qui habet meliora naturalia, de necessitate habebit (al. habet) ma-  
jorem gratiam & gloriam.* Tum opposita exponitur veritas: *quod secundum præordinationem, & prædestina-  
tionem Dei, à Deo dabitur gratia, & gloria.* Errorem ab Aquinate instauratum fuisse clamant, in 11. dist.  
111. & I. P. q. lxii. art. 6. & q. cvii. art. 4. Quo postremo in loco sic ait ille: *Angelis data sunt dona  
gratuita secundum capacitatem naturalium: quod non est in hominibus.* Rem hanc loco altero data opera per-  
tractat. *Rationabile est, inquit, quod Angeli qui meliorem naturam habuerunt, & etiam fortius & efficacius  
ad Deum sint conversi. . . . Unde videtur, quod Angeli qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de  
gratia & gloria.* Quibus demum paria sunt quæ habet loco primum citato q. 1. art. 6. in fine.

Oculi sint oportet caligine obruti, qui longe discrepantes theses non videant: ac præjudiciorum rene-  
bris infuscata mens fuerit, quæ damnatum articulum confundat cum Divi Thomæ doctrina. Absolute &  
universim Angelos, & homines complectitur articulus damnatus: de Angelis dumtaxat loquitur Aquinas.  
Erroris virus in eo positum est, quod *meliora naturalia*, sive Angeli, sive hominis, tamquam dispositiones  
accipiuntur, quæ proximam cum gratia & gloria proportionem habeant: ipsaque gratia, & gloria confer-  
ri de necessitate dicitur juxta meliorum naturalium mensuram. Quam longe differt Thomisticum dogma! *Me-  
liora Angelorum naturalia*, non nisi ut occasionem quamdam remotam respici à Deo docet Aquinas in elar-  
gitione gratiæ, unamque promovet divinæ providentiæ decentiam, quam sibi Deus in donorum superna-  
turalium distributione pro sua ipse libertate præstituerit. Hinc id esse *rationabile*, inquit ille, *diversusque na-  
turæ Angelicæ gradus videri* (verbum animadvertite crisi Theologica plenum) *ordinatos ad diversos gratiæ &  
gloriæ gradus.*

Quod Aquinatis dogma ulnis ambabus frequentius Theologi amplexati sunt, quibus ultro consensit  
Dionysius Peravius Lib. I. de Angelis capite xvi. num. viii. „Sed & ipsi Angeli, inquit, alii aliisque  
„affluentiore gratia ditati sunt, pro eo atque naturæ præstantioris erant, si Magistro Sententiarum credi-  
„mus. . . Cui & S. Thomas ad stipulatur, pro gradus cujusque dignitate dona gratiarum, ac perfectionem  
„beatitudinis collata esse docens. Etenim uti Angelorum natura ad gratiam, & gloriam à Deo facta est: ita  
„diversi naturæ Angelicæ gradus ad diversos itidem gratiæ, gloriæque gradus ordinati sunt; quemadmo-  
„dum architectus, ex eo quod certos lapides aliis elegantius, accuratiusque perpolit, videtur, eos ad dig-  
„norem aliquam ædium partem destinare.“ Hæc sunt videlicet, ipsum decentiæ argumentum, & appo-  
sitiissimum exemplum, & eadem ferme verba à Divo Thoma adhibita. Qua in re præverat S. Basilus de  
Spiritu sancto capite xvi. num. 38. *Juxta proportionem excellentiæ* (sive pro excellentiæ modo.) *quia se in-  
vicem*

vicem superant (Angeli) à Spiritu habent sanctificationis mensuram. Rem indicat Gregorius Nazianzenus,  
eamque videtur in medio relinquere, oratione xl. *Haud novi, inquit, sive pro gradu stationis illuminationis  
nem participet* (natura Angelica: ) *sive pro mensura illuminationis gradum accipiat.* Priorem partem verbis  
conceptissimis definit Damascenus Lib. II. de Fide orthodoxa capite 111. *Per Verbum omnes Angeli creati  
sunt, & Sancto Spiritu sanctificante consumationem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate & ordine splendoris  
& gratiæ participes essent.*

Furfure Pelagiano conspersam hanc Thomæ, hanc Sanctorum Patrum doctrinam si quis dixerit, trun-  
cus accipies esto. Neque enim quidpiam in Angelis naturale extollitur, cui munera gratiæ debita fiant. Una  
Dei sapientia & voluntas laudatur, quæ sicut pro libro nobiliores Angelos, alios aliis condiderit: ita pro  
gradu nobilitatis ad excellentiorem gratiam eos ordinaverit. Sapiens hæc est Divi Thomæ animadversio loco  
citato ad 1. *Dicendum inquit, quo sicut gratia est ex mera Dei voluntate, ita etiam & natura Angelis: &  
sicut naturam Dei voluntas ordinavit ad gratiam, ita & gradus naturæ ad gradus gratiæ.* Hinc demum nullum  
in Angelis, eorum natura spectata, meritum agnovit ille, cui dona gratiæ & gloriæ elargiri Deus debue-  
rit: *Dicendum, inquit, Article 4. superiore ad 2. quod conversione naturali Angelus non meruerit beaitu-  
dinem, sed conversione caritatis, quæ est per gratiam.* Abeat ergo articuli damnati instauratio, quam primus  
Divo Thomæ affingere ausus est Guillelmus de la Mare.

VI. Validiora in ejus doctrinam depromi arma puravit idem Lamaræus, putarunt alii, qui ævo se-  
quiore infurrexerunt hostes, ex ea quamplurimum articularum censura, quam tulit Stephanus Parisiensis  
Episcopus. Vindiciæ, quas adornare libet, ut modum habeant ac ordinem, generales quædam præmitten-  
dæ sunt in eandem Censuram animadversiones, ut quænam illa fuerit, qua polleat auctoritate, quove in  
pretio habita sit, splendide innotescat.

Ac primo totius Universitatis Parisiensis iudicium perperam ac falso appellatur. Id evincit Dargen-  
træus ex ipsis litteris, quas dedit Stephanus Tempier, quæ unum ipsum Antiquitatem, ac alios nonnullos in  
Facultate Theologica Magistros exhibent censuræ auctores. In litteris apud Balæum vulgaris hæc habentur:  
*Nos tam Prælatorum, quam Doctorem Sacre paginæ, & aliorum prudentum virorum consilio.* Quæ paulo  
aliter effertur verba in Mss. Sobornico Codice: *Nos tam Doctorem sacre Scripturæ, quam aliorum com-  
municato consilio.*

Articulus potro occurrit nullus, qui veluti à Thomæ traditus notetur, damnaturque. Equidem in  
Stephani litteris num. 81. & in Collectione errorum in Angliæ & Parisiis proscriptorum, capite viii. num.  
17. quibusdam in editionibus thesis legitur his concepta verbis: *Quod quia intelligentiæ non habent materiam,  
Deus non potest plures ejusdem speciei facere: contra Fr. Thomam.* Verumenimvero, diligentissima collatione  
facta cum tribus Codicibus Manuscriptis Sorbonæ, postrema desiderari illa verba testatur Dargentæus: eis-  
demque omisissis, referunt eundem articulum, & expendant Henricus de Gandavo, Quodlib. II. q. viii.  
& Quodlib. XI. q. 1. & Egidius Romanus, Quodlib. VII. q. 11. Hinc invidiosum illud additamentum  
æmulorum fraude, & malo dolo irrepsisse videtur.

Ipse Stephanus, auctor Censuræ, cum in Præfatione generali quadam indicet notionem eos qui damna-  
tos articulos tradiderunt, Thomam etiam Aquinatem accensendum verbo nullo, indicio nullo significat. Ait  
enim: *Magnarum, & gravium personarum crebra, zeloque fidei accensa relatio insinuavit: quod nonnulli Parisiis  
studentes in artibus, propriæ facultatis limites excedentes, quosdam manifestos & execrabiles errores, imo potius  
vanitates & insanias falsas, in rotulo, seu cedulis, præsentibus his annexo, sive annexis, contentos, quasi dubitabi-  
les in Scholis tractare, & disputare præsumunt.* An inter eos locum habuerit Aquinas, qui artibus operam da-  
bant in Academia Parisiensis ac studentes erant? An ex illis fuerit, qui propriæ facultatis (neque enim aut Ma-  
gistri, aut candidati Theologiæ erant) limites excederent? Solum quidam indicantur, petulantisque artium  
studentes, qui ut ingenii acumen ostentarent, propositiones tuendas adsumebant aut vanas & insanas, aut  
execrabiles & erroneas: dictaque Magistrorum nonnulla, quæ per sese innocua erant, pravo sensu intellec-  
ta vulgabant.

Codicem Sorbonicum affert Dargentæus, in cujus calce hæc habentur adnotata: *Principalis assertor is-  
torum articulorum fuit quidam Clericus Beatus (vel Beccus) appellatus.* Nempe suspicatur laudatus doctissi-  
mus Auctor, intelligendum esse Joannem Brescaium, seu de Brescaim, sophistam quemdam impudentem,  
Peripateticæ Philosophiæ, & Arabum interpretum commentis nimium addictum, ipsosque eorum erro-  
res in Scholis Parisiensibus vulgantem. Damnata ipse anno 1247. expuleratque Academia Odo Tuf-  
eulanus Episcopus, Apostolicæ Sedis legatus. Latam ab eo sententiam legè apud Dargentæum, Tomo I.  
citato. Paris indolis audax, petulantisque ingenii fuerant, qui articulos damnatos procuderant.

At floruit demum in Parisiensis Universitate, sive cum primo ad scientias addiscendas Lutetiam venit  
Aquinas, sive cum in eadem gradus percurreret, traderetque sacras litteras, sive cum altera vice ab anno  
1269. ad annum 1271. scholam regeret, & probitatis, & sanæ doctrinæ opinione: ut in ejus dogmata  
nonnulla, aut philosophica, aut theologica, ferre censuram Doctores voluissent, nemo facile credat. Splen-  
didis-

didissimum suppeditant argumentum totius præstantissimæ Universitatis litteræ, quibus obitum ejus incluit ipsa, missæ ad Comitata Generalia anno 1274. celebrata Lugduni ad Pentecostem, diem 20. Maji. Servantur illæ in MS. codice Ludovici Valleolerani, ex quo depromptas in publicam lucem edidit Egafius Bullæus Tomo II. Historiæ Universitatis Parisiensis: easdemque legere est apud Stephanum de Sampaio in Stemmata Prædicatorum, & Franciscum Sylvium in laudata apologetica Oratione, & Casimirum Oudinum in dissertatione de Scriptis Divi Thomæ capite xxv. Digna sunt animadversione quæ sequuntur: *Cum eum (Fratrem Thomam de Aquino) à nostro Collegio, Generali Capitulo vestro Florentiæ celebrato (anno 1272. die 12. Junii) licet requisivimus instanter, proh dolor! non potuimus obtinere* (utpote Neapolim à Carolo Rege accersitum ad regendam Theologiæ Scholam,) Sui nempe desiderium, cum altera vice Parisiis professus esset Aquinas, reliquerat Universitati. Hinc ejus nomine litteræ memoratæ, quæ perierant, datæ fuere, quibus Thomam sibi reddi, & Parisios remitti Doctorum Universitas postulabat. Hæc rursum profero verba: „Ipsius defuncti ossa à vobis humiliter pro maximo munere postulamus. Quoniam omnino est indecens & indignum ut altera natio aut locus, quam omnium studiorum nobilissima Parisiensis Civitas, quæ ipsum diu educavit, nutrit, & fovit, & postmodum ab eodem doctrinæ documenta, & ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta.“ Lætitudinem gratulationem animadvertente de Thomæ doctrina accepta. Luculentiora sunt, quæ scribere pergunt: „Humiliter supplicamus, ut cum quædam scripta, ad Philosophiam pertinentia & spectantia, Parisius inchoata ab eo, in suo recessu reliquerit imperfecta . . . nobis benevolentia vestra communicari procuretis.“ Tam magno in pretio opera Thomæ habebant, ut minimis etiam philosophicis carere quibusdam tractatibus, Parisiis ab eo inchoatis, alibi completis in Italia, non paterentur. *Data epistola sunt Parisiis anno Domini 1274. die Mercurii ante inventionem sanctæ Crucis.* Insignitus littera Dominicali G. incedebat annus ille: unde *Mercurii dies*, seu feria quarta incidebat in diem 2. Maji ante diem tertiam Cruci Sanctæ inventæ sacram. An ergo, cum Parisiensis Universitas per amplissimas epistolas tot laudum præconiis Thomam Aquinatam celebraverit, commendaveritque doctrinam ejus, & scripta, ipsa etiam philosophica; tribus post annis dogmata quædam, & theologica, & philosophica, quæ tradidit ipsi, tam acerba notare censura voluerit Facultas Theologiæ? Id credat Judæus Apella.

VII. Haud ego inficias iverim, articulos nonnullos in eadem censura legi, qui, litteræ cortice spectato, in Operibus Divi Thomæ, toridem fere verbis reperiuntur. Viri doctissimi sunt qui pro certo habent, longe disito sensu damnatos nos esse à Parisiis, eosdemque à Thomæ scriptis traditosque sunt alii vero qui existimant, unum vel alterum eodem sensu & ab Aquinate traditum fuisse, & abs Stephano Tempier damnatum. Thesis in exemplum adducunt, quam numero superiore protulimus: *Quod quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non possit plures ejusdem speciei facere.* Utraque vigeat opinio in Parisiensi Universitate, ævo Stephani de Bourreto, qui in serie ejus Ecclesiæ Episcoporum tertius hoc nomine appellatur, sedemque conscendit anno 1320. quam ad octavum Kal. Decembris anni 1325. tenuit, ut adnotant Monachi Sancti Mauri in Gallia Christiana, Doctoris sanctissimi famam audaculi quidam denigrabant, dogmata nonnulla vulgantes, quæ pari verborum tenore tum in operibus Thomæ legebantur, tum in censura Stephani Tempier prædecessoris, quod ægre ferens Bourretus, re matura deliberata, priorem abrogat censuram, in quantum tangit, aut tangere asseritur sanam Doctrinam Sancti Thomæ. Hinc satis utriusque factum, quorum alii nonnulla doctrinæ Thomisticæ capita per eam censuram tangi existimabant: putabant alii, ab aliquibus æmulis malevolisque perperam ac falso asseri tacta, longissimo tamen intervallo differrent.

Revocatoria litteræ incipiunt: *Magistra rerum experientia certis indicibus evidenter demonstrata.* Datæ vero sunt apud Gentiliacum anno Domini M. CCC. XXIV. die jovis ante sacros cineres. Stylo novo, civilis Julianus annus est 1325. quo pascha incidit in diem 7. Aprilis, dies cinerum in 22. Februarii, & dies Jovis ante sacros cineres in diem 14. ejusdem Februarii, littera Dominicali F. currente. Hinc Didacum Alvarez in opere de auxiliis disput. v. notantem annum 1325. immerito castigat Petrus de Alva, castigandus ipse, qui pro sua inficitia, vel oscitantia styli veterem Ecclesiasticum non diffinxit à stylo novo.

Quæ dignissima sunt animadversione in eisdem litteris, jam profero. Hæc vero habentur: *Dudum siquidem memorie felices quidam prædecessores nostri Parisienses Episcopi quosdam articulos, ne forsitan eos male intelligentes cadere in errorem, tamquam erroneos, per excommunicationis sententiam damnaverunt, & interdixerunt expresse; quorum tamen nonnulli doctrinam eximii Doctoris B. Thomæ de Aquino de Ordine Fratrum Prædicatorum tangere ab aliquibus asserunt.* Prædecessores illos Parisienses Antistites intellige Guillelmum, & Stephanum Tempier. Jam vero animadvertente, articulos quosdam in eorum censuris contentos, pro innoxiiis reputari: eaquæ proscriptos ratione fuisse, quod pravo sensu intellecti vulgabantur, eosdemque demum vel eorum spectata littera, Divo Thomæ non attribui, sed ab aliquibus attributo asseri. Quam articulum, & sententiarum promulgationem Venerabiles Viri, Decanus & Capitulum Ecclesiæ Dominæ nostræ, sicut veritatis zelatores, intius considerantes; nec non doctrinæ ac famæ B. Tho-

„ Thomæ predicti injustam denigrationem, veritatis occultationem, & S. R. Ecclesiæ aliqualem dehonorem, rationem (pariter considerantes;) per Venerabilem Virum Magistrum Annibaldum Decanum Atrebatensem Archidiaconum, Sacræ Theologiæ Doctorem, & D. Petrum de Fagello Parisiensem Canonicum, eorum propter hoc nuntios ad nos specialiter deputatos, nos requisierunt &c. “ Quo loco notatos habet æmulos Divi Thomæ, qui obtentu censuræ abs Stephano Tempier latæ, doctrinam, & famam ejus injuste denigrabant. Habes etiam, per hanc iniquam doctrinæ Aquinatis denigrationem incommoda duo sequi posse, & veritatis occultationem, & aliqualem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ipsum inter Cœlites retulerat, dehonorationem.

„ Nos requisierunt, nobisque supplicaverunt: quatenus vocatis omnibus Sacræ Theologiæ Doctoribus, & cum eisdem communicato consilio, & deliberatione habita diligenti, & cum aliis etiam qui de talibus & in talibus possunt, veritatis viam aperiremus: per quam in prædictis articulis, in quantum doctrinam Beati Thomæ Doctoris egregii tangere possunt, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sancti prædicti Doctoris Venerabilis honorem ac reverentiam servaremus. “ Dogmata nonnulla ab Aquinate tradita per eam tangi censuram, putabant alii: non ita arbitrabantur alii, tamen si tactam eam esse vulgarent æmuli. Itaque ad examen vocatum est, num articulo damnatio doctrinam Beati Thomæ Doctoris egregii tangere posset.

Itaque, per Venerabiles ac dilectos Consiliarios nostros fideles, Magistrum Hugonem de Bisontio Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de Nova-villa, D. Odonem de Zenonis Canonicum Parisiensem, inquisitione facta super dictis articulis apud Doctores Theologiæ Facultatis, in eorum Congregatione generali, Regentium & non Regentium, Sæcularium & Regularium, ad hoc specialiter convocata. “ Patet iudicium, quo de agimus, non ad integram pertinere Parisiensem Universitatem, sed ad Facultatem solummodo Theologicam. Sed hanc Theologorum congregationem plura sunt quæ spectabilem reddunt. Decanus & Canonici Parisienses promovent negotium, illudque adsumitur ab Stephano Episcopo, cum tribus Consiliariis spectatissimis Viris: qua de re generalis Theologiæ Facultatis congregatio celebratur, initurque examen per Magistros, Regentes alios, seu actuales, aliosque non Regentes, seu emeritos, tam Sæculares, quam Regulares, ut momentum omne ferenda sententia habeat.

Tam seria ac matura habita deliberatione, compertum denique fuit: dictum Confessorem Beatum, & Doctorem egregium nihil sensisse, docuisse, seu scripsisse, quod scientiæ fidei, vel bonis moribus adverteretur. Luculentissimum sanæ doctrinæ ab Aquinate traditæ elogium, celeberrimæ Facultatis calculis omnibus comprobatum.

Nondum vero satis. Ad examen cœtus nobilissimus procedit ipsius censuræ abs Stephano Tempier latæ: expenditurque, num per ipsam Thomæ doctrinam tacta fuerit, aut merito tacta à quibusdam jactaretur? Pro eadem doctrina iudicium denique fertur: ipsaque censura, siue tangat eam, siue quidpiam contineat, quod occasionem æmulis dederit ut eadem tacta adereretur, irrita declaratur. Quæ sequuntur, accipe verba: „ De consilio Venerabilium Virorum, Decani & Capituli Parisiensis, & Ven. Patris Domini Guillelmi Dei gratia Vienenensis Archiepiscopi, Sacræ Theologiæ professoris, & aliorum viginti trium Magistrorum in Theologia . . . nec non & trigintanovem Baccalaureorum in Theologia . . . & aliorum doctorum solemnem ac maturo consilio super hoc habito. “ Numerum animadvertente, dignitatem, ac præstantiam eorum, qui Thomæ doctrinam, censuramque Stephani examine versarunt. „ Supradictam articulo condemnationem, & excommunicationis sententiam in quantum tangunt, vel tangere asserunt, sanam doctrinam Sancti Thomæ prædicti & Doctoris eximii, ex certa scientia, tenore præsentium, totaliter annullamus. “ Partes duas distingue: ac prima illa est, qua æmuli doctrinæ Divi Thomæ cohibentur, qui nonnulla ejus dogmata vulgabant per eam Parisiensem censuram confixa: pars altera ipsam censuram respicit, eamque irritam nullamque declarat, si quidem ipsa eandem tangeret doctrinam Thomæ.

VIII. Tam egregium & insigne documentum, quo immunis omni censura pronuntiatur Sancti Thomæ doctrina, in dubium vocat Petrus de Alva in suo Nodo indissolubili: imo confictum à Fratre quodam Prædicatore illud esse, nullus dubitat. Præcipua, quæ profert, hæc sunt argumenta. I. ab ære vulgaris anno 1325. quo Stephanus de Bourreto litteras illas dedisse fertur, mentio earumdem occurrit nulla ad annum usque 1387. quo Joannes de Montefono in arduo negotio, quod cum Parisiensi Universitate habuit, doctrinæ suæ vindicias agens, prædictas litteras ex arca protulit, apud Fratres Prædicatores adservata. An illas, veræ ac genuinæ si forent, Universitatis archivum non servasset? An Fratrum Prædicatorum arca una custodierit? An in fastis ejusdem Universitatis tam altum silentium? II. Cum litteras eas Montefonus protulisset, suspicionem invaluisse de figmento, testantur Monumenta ad ejusdem Montefoni causam spectantia: easdemque, velui fictas, rejecerunt eo tempore Doctores duo, Joannes Alanus, & Joannes Vitalis, Ordinis Minorum alumni, Scriptum namque reliquit ille in Tractatu de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis: *Sed non est verisimile, eos habere veram litteram Domini Stephani Episcopi Parisiensis, quæ iste damnavit plures articulos ejus ad sensum Sancti Thomæ. Ideo nonnulli dicunt, quod litteræ ejus, quam ostendunt.*

dunt, aut subreptitia est, vel à veritate aliena. Paria sunt alterius verba in simili de Conceptione Beatæ Virginis Tractatu, quæ descripsit Petrus de Alva ex Codicibus Bibliothecæ olim Colbertinæ. III. Quæ demum vel ipsæ litteræ figmentum indicant propterea quod consona minime sunt quæ proferuntur exempla. Sequentem clausulam habent aliqua: *articulos ipsos non propter hoc approbando nec etiam reprobando, sed eosdem discussioni scholasticæ libere relinquendo*: quæ in aliis desiderantur verba. *Flos doctorum* in aliquibus appellatur Sanctus Thomas. *Doctorum fontem* habent alia. In aliquibus demum editionibus præter Stephani Bourreteri litteras, aliæ præstant nomine *Universitatis Parisiensis* insignitæ, quæ sicuti fide nulla veterum inniuntur, ita veluti fictitiæ rejici debent.

Egregias pro litterarum sinceritate vindicias egerunt Nostrates, Franciscus Janssens, Bernardus Guyardus, Seraphinus Piccinardus, alique, quibus exterum addo, litterarum peritia, ac dignitatum splendore celeberrimum Virum, Carolum Duplessis de Argentré, Sorbonicum Doctorem, & Episcopum Tutelensem, in collectione judiciorum de novis erroribus Tomo I. Parentur illi, fateor ego laudatas revocatorias, à Stephano de Bourreto datas litteras, prima vice coram palamque vulgatas in eo negotio fuisse, quod inter Joannem Montefonum, & Theologos Academicos anno 1387. intercessit. Verumenimvero autographum ipsum exhibuit Montefonus, ac inde fido calamo transfumptum apographum: qua de re publico Notario mandatum fuit ut instrumentum conficeret, suoque nomine, fide, ac juramento muniret. Sacræ Facultatis acta sic habent apud Jacobum Ehardum in Joanne de Montefono., In nomine Domini Amen. Per hoc præfens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter: quod anno ejusdem D. M. CCC. LXXXVII. Indictione X. Mensis Junii die XI. Pontif. SS. in C. P. & D. D. N. Clementis divina providentia Papæ VII. anno IX. in Venerabilium, & circumspèctorum Virorum Dominorum & Magistrorum... præfentia, personaliter constitutus venerabilis & Religiosus vir F. Joannes de Montefono... tenens in suis manibus quasdam litteras, signo publici notarii non signatas, sigillo Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi; necnon *Vidimus* ejusdem litteræ, sigillo Domini Guillelmi olim Parisiensis Episcopi; eorum sigillo sigillatas... Et quia ego Joannes Coustelli &c.

Litteras hujusmodi Stephani Parisiensis Episcopi, earumque apographum Guillelmi ejusdem urbis Antistitis munitum sigillo, illas esse, de quibus agimus, infra constabit. Dicuntur *signo publici Notarii non signata*: quia, ut adhuc mos est, sic olim in usu erat, litteris cujusque Episcopi, ejus sigillo munitis fidem adhiberi sine testimonio publici Notarii sive Magistratus; ut verissime animadvertit Dargentæus. Pars illa actorum, necnon *Vidimus* ejusdem litteræ, fucum Piccinardo, aliisque fecit, qui corruptum putavere locum, mancum, & imperfectum. Aut latebat eos, aut fugit, vocem illam, *Vidimus*, pro apographo summi consuevisse: quod viso & inspecto originali confectum esse, persona publica testabatur, Princeps, Episcopus, Magistratus, Notarius, ut adnotat Mabillonius Libro I. de Re Diplomatica capite VII. num. 2. & 3. & Abbas Gottvicensis in Prodomo ad Chronicon Gottvici Tomo I. Libro II. pag. 81. Rem eandem hujus ævi chartis, & exemplis comprobatur Ducangius in Glossario mediæ & infimæ latinæ. Testamentum accipit Philippi Boni apud Miræum, in quo hæc habentur; *Volumus denique, ut litteris publicationis, aut earum apographis, vulgo Vidimus dictis &c.* Hinc actorum nostrorum conspicuus patet sensus: Joannem de Montefono Deputatis Theologis præfentasse tum litteras Stephani Parisiensis cum ejusdem sigillo, tum earundem apographum transfumptumque exemplum, Guillelmi pariter Episcopi Parisiensis munitum sigillo. Hunc vero *Guillelmum* intellige Stephani de Bourreto successorem in Sede Parisiensis; nempe Guillelmum de Chanaco, hujus nominis quintum, anno 1332. electum 15. Kal. Septembris. Quod instrumentum demum in acta redegit Joannes Coustelli Notarius.

Ex utroque litterarum Stephani exemplari, & apographo, desumptum ab ipso Joanne Coustello Notario aliud exemplum fuisse, Instrumentum docet, quod sequitur, à Dargentæo typis editum: „ In nomine Domini Amen. Noverint universi, quod hæc est transfumpta copia, sive exemplum, sumptum per me Notarium publicum infrascriptum ex quibusdam *originalibus* litteris felicis memoriæ Domini Stephani olim Parisiensis Episcopi; nec non *Vidimus* (idest, ex apographo) ejusdem litteræ sigillo Domini Guillelmi, olim Parisiensis Episcopi eorum sigillis sigillatis, ut prima facie apparebat, & signo alicujus Notarii publici non signatis. Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis. *Universis præfentes litteras, inspecturis, Stephanus permissione divina Parisiensis Episcopus, salutem in omnium Salvatore. Magistra rerum experientia*... Et ego Joannes Coustelli, Remensis Diocesis Clericus, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate, ac venerabilis Universitatis studii Parisiensis Notarius, juratus, præfens transcriptum ex dictis *originalibus* litteris sumpsit fideliter, & transcripsi; nihil addens aut minuens quod sensum immueret, aut variet intellectum; diligentemque de dictis *originalibus* cum discreto viro Ægidio Massardi, Clerico Atrebatensis Diocesis, publico & imperiali auctoritate Notario, collationem feci; & quia utrumque concordare inveni, ideo præfenti publico instrumento, aliena manu scripto, me subscripsi, signumque meum apposui consuetum rogatus. Actum Parisiis, in domo habitationis ejusdem Notarii præfati, sita in vico Nucum, anno Domini millesimo trecentesimo cætogesimo septimo, Indictione decima, Mensis Julii die „ tertia

„ tertia (XIII.) Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri Domini Clementis, divina providentia Papæ septimi, anno nono: præfentibus ad hæc discretis viris, Magistro Nicolao de Souton Magistro in artibus, & Ægidio Imperatore Subbedello Facultatis Theologiæ, Parisiis commorantibus, testibus ad præmissa vocatis & requisitis &c.

Solemni publici Notarii ac testium rogatorum fide jam constat, abrogatorias laudatas Stephani de Bourreto Episcopi Parisiensis litteras à Joanne de Montefono *originalibus* exhibitas fuisse, simulque traditum apographum earundem exemplum, successoris Episcopi Parisiensis Guillelmi sigillo munitum: eademque fide rursus constat, novum desumptum, descriptumque litterarum exemplum ex *originalibus* prædictis Stephani litteris: quæ demum non una vice, sed ter *originalibus* appellantur. Ambigere de his, easque veluti fictitiis rejicere si liceat, pereat humana fides oportet. Cur ergo in Archivo Universitatis Parisiensis, iniquens, prædictæ repositæ, ac repertæ litteræ non fuerint? Quidni existerint, reponam ego, & exciderint postea? Cur vero extrare debuerint, cum ad acta sacræ Facultatis Theologiæ pertineant, non ipsius Universitatis, ut cum Dargentæo jam animadvertimus, datæque fuerint *apud Gentiliacum*, non Parisiis, nec *apud Sanctum Mathurinum*, nec *apud Sanctum Julianum pauperem*, nec alibi, ubi Magistrorum universitas congregari ad negotia paragenda sua consueverat? Ad rem egregie facit Egasii Bulæi exemplum, qui in Historia ejusdem Universitatis refert acta fere omnia in causa Joannis de Montefono: sed primum attamen jam allegatum hujusce causæ instrumentum omisit, quod in *Regestis Universitatis* (Jacobi Echardi animadversio est) *forte non habeatur*. An illud, veluti falsum aut fictitium, idcirco rejicias? Inter summa vero Fratrum Prædicatorum negotia erat, ut Stephani de Bourreto litteras, quibus inlata dogmatibus Divi Thomæ suspicio tollebat omnem, *originalibus* custodirent; quorum ex arca si tandem aliquando prolata in lucem fuerint miratio nulla.

Atqui dubiam earundem fidem, cum illas Montefonus exhibuit, habuisse Magistros, minime probant ut ais, nec indicant monumenta, quæ in ejusdem Montefoni negotio præstant. Quinimo eadem in causa cum frequentius protestati Academici fuerint, doctrinam Sancti Thomæ non solum se non impugnare, sed & summe venerari; satis indicio & argumento est, cognitæ illis fuisse Stephani de Bourreto litteras, quibus Prædecessoris Stephani Tempier censura, si Thomæ quidem dogmata tangere, aut tangere videretur, emolliabatur, aut abrogabatur. Inquiebant illi quippe in Instrumento anno 1388. die 14. Februarii confecto: *Nos autem millesies diximus... qualiter S. Thomæ doctrinam in dicta nostra condemnatione* (contra Montefonum lata) *nequaquam reprobamus*. Negotium facescit nullum Joannis Vitalis, & Joannis Alani auctoritas, qui revocatorias prædictas litteras ut rejiciant veluti *parum verisimiles*, imprudenter fingunt, *Dominum Stephanum Episcopum Parisiensem*, à quo revocatorias anno 1325. datas litteras contendimus unum esse eundemque ac Stephanum Parisiensem pariter Episcopum, qui *condemnavit* anno 1277. *plures articulos*, nempe supra ducentos. Duos, ut par est, Parisiorum Antistites distinguunt, Stephanum alterum *Tempier* cognominatum, Stephanum de Bourreto alterum: ac omnis cum excogitato figmento difficultas evanescit.

Plurima posthac hujusmodi litterarum exempla prodjere, quæ absque ulla falsitatis suspitione à Viris doctissimis allegata sunt: ipsæque litteræ frequentius Mediolan, Venetiis, Parisiis, Patavii, alibi typis editæ præstant. Interpolatorice manu scædata illa videntur exempla, cujusmodi est quod Bulæus offert in Historia Universitatis Parisiensis, in quibus hæc adjecta verba leguntur: *ipsos articulos non propter hoc approbando nec etiam reprobando, sed eosdem discussioni scholasticæ libere relinquendo*. Hæc vero interpolationis fortasse origo, Refert namque sæpe laudatus Dargentæus, Parisiensem Episcopum Stephanum de Bourreto, teste Bulæo, Centuria V. qui Joannis Bacconis Angli testimonium profert, facultatem Parisiensibus Magistris fecisse, ut de doctrina Sancti Thomæ disputarent: idque permissum illis, antequam decretum ejus pro ipsius Aquinatis doctrina prodiret. Rem eandem indicat Bulæus loco citato ad annum 1324. fide tamen non integra: ac si videlicet Antistes Parisiensis *impugnationem permiserit quorundam articulorum à Thoma Aquinate collectorum*. Hinc facillime contingere potuit ut ea clausula, qua dicuntur *articuli*, qui Sancto Thomæ tribuebantur, *disputationi scholasticæ libere relicti*, in aliquod litterarum exemplum, interpolatoris cujusdam manu operam præstante, irreperet: quæ tamen in aliis emendatioribus exemplis apud Dargentæum aliosque desideratur. At ipso volente ac mandante Stephano de Bourreto, inserta ea verba fuerint. Non alium utique sensum effierunt, nisi Articulos illos, si quos docuerit Aquinas, censuræ nota sublata, libere in Scholis tradi ac propugnari posse. Inde vero jam collige, laudatum Stephanum de Bourreto, qui Parisiensem Cathedraliam anno 1321. conscendit, ab ipso indeptæ Sedis initio non ita Stephani Tempier litteras habuisse in pretio, quin articulos illos, quibus tangebatur, aut tangi videbatur Thomæ doctrina, liberæ Magistrorum Doctorumque discussioni permitteret. Sed & antea, tempore Simonis de Buciaci, qui Sedem eandem anno 1289. obtinuit, tenuitque ad annum 1304. Godefridus de Fontibus, insigne Sacræ Facultatis, lumen, quæstionem moverat Quodlibeto XII. q. 5. *utrum Episcopus Parisiensis peccet in hoc quod omittit corrigere quosdam articulos à Prædecessore suo* (Stephano Tempier) *condemnatos*. Prolixum referunt locum Echardus in Elogio Sancti Thomæ, & Dargentæus Tomo I. citato. Pauca profero, quæ sequuntur verba: „

„Sunt etiam in detrimentum non modicum doctrinae studentibus perutilis Reverendissimi & Excelentissimi Doctores, scilicet Fratris Thomae, quae ex praedictis articulis minus iuste aliquantulum diffamatur: (quatenus nempe doctrinam tangebant illi; aut potius tangere adferebantur:) quia articuli suprapositi, & quamplures alii videntur sumpti ex iis, quae tantus Doctor scripsit in doctrina tam utili & solemniori. Et ideo in hoc quod tales articuli tamquam erronei reprobantur, dicta doctrina etiam suspecta à simplicioribus habetur, quia tamquam erronea & reprobabilis innuitur. Propter quod plures possent habere occasionibus retrahendi se à studio in tali doctrina: in quo non solum ipsa doctrina laederetur, sed & ipsi studentes vere damnum maximum sustinerent. Quia salva reverentia aliquorum Doctorum, excepta doctrina Sanctorum, & eorum quorum dicta pro auctoritatibus allegantur, praedicta doctrina inter ceteras videtur utilior & laudabilior reputanda: ut vere Doctores, qui hanc doctrinam scripsit possit dici in singulari & illud quod Dominus dixit in plurali Apostolis Matth. v. *Vos estis sal terrae &c.* sub hac forma: *Tu es sal terrae: quod si sal evanuerit, in quo salietur?* Quia per ea quae in hac doctrina continentur, quasi omnium Doctorum aliorum doctrinae corriguntur, sapidae redduntur & condiuntur: & ideo si ista doctrina de medio auferretur, studentes in doctrinis aliorum saporem modicum invenirent. „Quid unquam ad Aquinatis, ejusque doctrinae commendationem dici illustrius potuit? Quod attamen elogium animadvertit à Viro prodire, qui plus nimio Doctores Sancto addictus dici nequit, cum inter eos numeretur qui ejusdem sententia impugnantur.

Levisima sequitur vocum illarum, *fos Doctorum*, & *fontes Doctorum*, dissonantia: quam opponi potuisse mirum est, ut de litterarum Stephani de Bourretto falsitate injiceretur suspicio. At inquis, fictas dubio procul omni alias esse, nomine *Universitatis Parisiensis*, eadem de re epistolas, quas cum laudati Stephani de Bourretto litteris junctas exhibent edita nonnulla exempla. Rem ego diligentius narro. Mediolani anno 1475. typis Christophori Valdarfer Ratisponensis prodit *Libellus . . . de Veritate Conceptionis gloriosae Virginis Mariae, cum Proemio ad inclitum generosumque Comitem Petrum de Gambara*. Nomen Auctoris abest, quem fuisse ignorat nemo Vincentium Bandellum de Castro novo in Diocesi Dertomeni. *Petrum de Vincentia* deceptus Dargentraeus appellat, qui *Bandelli cognomen habebat*. Editum secundis curis hoc Opus Bononiae anno 1481. notat Dargentraeus: in quo praeter genuinas litteras Stephani (inquit) alias litteras nomine *Universitatis Parisiensis* refert Auctor: *quae ficticiae sunt, & nostris majoribus incognita.*

Doleo peccata plura à Dargentraeo admittit. Non unum, idemque opus Bandelli est, quod anno 1475. & quod Bononiae anno 1481. prodit. Inscrubitur illud, *Libellus recollectorius* (seu recollectionis auctoritatum) *de Veritate Conceptionis &c.* Comiti Petro de Gambara nuncupatus: Titulum habet istud, *De singulari puritate & prerogativa conceptionis Salvatoris nostri Jesu Christi per F. Vincentium de Castronovo &c.* in quo disputatio continetur coram *Hercule Estensi Ferrariae Duce* in ejus Palatio facta. In ipso praeterea opere anno 1475. typis edito, praeter epistolas Stephani de Bourretto, prostant litterae *Universitatis Parisiensis, doctrinam Sancti Thomae de Aquino ordinis Praedicatorum approbantes*: unde ante annum 1481. lucem eas non vidisse, error est Dargentraei. Candide fateor, hujusmodi litteras perperam *Universitatis Parisiensis* nomine insignitas, cum potius è calamo prodierint Doctorum quorundam Theologicae Facultatis. At fictas easdem, proculasque à Bandello, nimia fortasse confidentia putat Dargentraeus, adferit Petrus de Alva. Scite namque Piccinardus animadvertit, litteras istas in aliis denotari à Stephano datis per ea verba: *De consilio Venerabilium Virorum, Decani, & Capituli Parisiensis, & Ven. Patris Domini Gullelmi Dei gratia Archiepiscopi Viennensis, Sacrae Theologiae Professorum; & aliorum vigintitrium Magistrorum in Theologia, una cum Reverendo Patre praedicto in litteris sub eorum sigillis per praefatos Commissarios nobis missis; necnon & trigintanovem Baccalaureorum in Theologia, super hac per litteras eorum propriis subscriptionibus & sigillis munitas, nobis consulentium, & rogantium &c.* Litteras habes, alias Magistrorum in Theologia, alias Baccalaureorum qui consulebant & rogabant, ut Stephanus habito consilio condemnationem articulorum, in quantum tangunt vel tangere afferunt sanam doctrinam Sancti Thomae, solemniori iudicio irritam nullamque pronuntiaret. An vero mirabilis adeo res fuerit ut litteras hujusmodi delitescerent invenerit Bandellus, ac juris publici fecerit? At deceptus demum ille fuerit: si des minime nutat litterarum Stephani, quas tot munitas praesidiis ostendimus.

Hinc vero integritati doctrinae, quam suis in operibus tradidit Sanctus Thomas, luculentissimum testimonium accedit ex allatis laudati Stephani de Bourretto abrogatoriis litteris, quas in dubium vocare irritato voto & conatu severiores quidam critici homines voluerunt. Hocce de argumento, Thomae doctrina cum articulis censura notatis comparata, iterum novis curis diligentissime agendum mihi erit.

IX. Ad examen postremo loco revocanda est censura quaedam, quae saeculo quartodecimo lata dicitur in triginta & octo theses ex Alberto Magno & Thoma Aquinate decerptas, nomine *Roberti de Bardis* Florentini, & Cancellarii Parisiensis inscripti. Hanc memorat Philippus Villanius in opere de Viris illustribus Florentinis (*le Vie de nomini illustri Florentini*): quod primus è tenebris in lucem protulit Joannes Maria Mazzuchellus Brixianus, typis Joann. Baptistae Paschali anno 1747. Florebat Villanius anno 1343. & annum

num vidit 1405. eodem adnotante Mazzuchello. In *Vita Roberti de Bardis* haec narrat ille; latine reddita: „Theologicae eruditioni addictus, Parisinam in urbem & Academiam se contulit. Nomen, & famam subtilissimi Doctoris adeptus, Cancellarii munus in studio Parisiensi annos circiter quadraginta gessit. Ea pollebat ingenii perspicacia Vir celeberrimus ut post Magistrum Sententiarum reos egerit de triginta & octo erroribus Albertum Coloniesem & Thomam Aquinatam, damnaritque. Errorum catalogus in hodiernum diem servatur: latamque damnationem nemo hactenus rejicere ausus est. „Christophori Landini, qui eodem saeculo XIV. floruit, ac paria narrat in *Apologia Dantis & Florentinorum*, testimonium addit laudatus Mazzuchellus: qui pro ea, qua pollet eruditione, doctrina, & crisi, candide fatetur, sibi valde hanc censuram nomine Roberti de Bardis inscriptam, suspectam esse; cum ejus nulla mentio occurrat apud Scriptores, quorum erat inter negotia, eandem recensere, ac rejicere, vel etiam venditare. Silent vero Thomae Discipuli, qui amplissimas pro Aquinate vindicias adornarunt, Vincentius Baronius, Joannes Casalas, Seraphinus Piccinardus, Franciscus Sylvius, Xantes Mariales, aliique, Silet Caesar Egasius Bullaeus in *Historia Universitatis Parisiensis*, ubi dissidia quaeque inter Academicos exorta refert, ac plurima recenset quae ipsa Universitas, aut Facultas Theologica tulerunt censoria iudicia. Silent illi, qui minus aequa, aut iniqua in Thomam, & in Ordinem Praedicatorum scripta vulgarunt, Petrus de Alva, Petrus à Valle clausa, Joannes Baptista Poza, Joannes Launojus, Casimirus Oudin, aliique hujus farinae homines. In calce quatuor de Sententiis Petri Lombardi Librorum, & Tomo XXV. Lugdunensis Bibliothecae Patrum, quamplures prostant latae Parisiis censurae: neque ullum occurrit in triginta & octo theses, veluti ex Alberto Magno, & Thoma Aquinate decerptas, censorium iudicium. Vulgo quidem iactabatur, theses nonnullas Divi Thomae, aut Philosophicas, aut Theologicas, abs Stephano Tempier Episcopo Parisiensi censoria virgula notatas fuisse: sed hanc abrogatam censuram anno 1325. ab Stephano de Bourretto ejusdem Ecclesiae Antistite, quatenus tangebatur, aut tangere adferebatur sanam doctrinam Sancti Thomae, superius adnotavimus. In causa demum Joannis de Montefono, quae magna animorum contentione anno 1387. agitata fuit, *Nos milles diximus*, inquebant Parisienses Doctores, *qualiter S. Thomae doctrinam in dicta nostra condemnatione (contra Montefonum) nequaquam reprobamus: eademque condemnatio quatuordecim dumtaxat articulos continet. Hinc dubitandi locus est (Mazzuchelli verba sunt) aut Villanii narrationem à vero abudere, aut privato quodam iudicio scriptoque Robertum de Bardis triginta & octo theses à Thoma propugnatas improbasse, quae minime ipsi aridebant.*

Sirenne pugnantem Mazzuchello vires addere liceat, ut quae censura à Villanio obtruditur, penitus convellatur. Amplissimam Carolus Duplessis de Argentrè saepe laudatus in lucem protulit *collectionem iudiciorum* (Ecclesiae, & insignium Academicarum, inter alias Parisiensis, & Oxoniensis &c.) *de novis erroribus, qui ab initio duodecimi saeculi post Incarnationem Verbi usque ad annum 1632. proscripti sunt, & notati.* Sed inter haec iudicia vestigium nullum censurae in *Vita Roberti de Bardis* memoratae. Hujusce Viri gesta plura refert Bullaeus Tomo IV. *Historiae Universitatis Parisiensis*, & in *Catalogo illustrium Academicorum*, qui prostat in calce ejusdem Tomi, ubi haec habentur: *Robertus de Bardis, Doctor in Theologia, subscripsit anno 1332. determinationem Facultatis Theologicae contra sententiam Joannis XXII. de tarda visione beatifica. Idem anno 1336. factus Cancellarius Universitatis. Obiit vero anno 1349. eique successit M. Joannes de Asiaco. Ad annum 1343. Litteras Clementis VI. Summi Pontificis refert idem Bullaeus, datas Cancellario Ecclesiae Parisiensis, qui tunc erat, eodem Bullaeo adnotante. Magister Robertus de Bardis, ut promoveret ad gradum Magisterii Rogerium de Palhariis. Haec vero, non alia ejusdem Roberti gesta in laudata Universitatis Parisiensis historia recensentur: eoque temporis intervallo, cum plures in erroneos articulos latae fuerint censurae, nulla occurrit quae Alberti Magni ac Thomae Aquinatis theses notaverit.*

Dignum est animadversione, Robertum de Bardis in ea anno 1332. contra sententiam de tarda visione beatifica Facultatis Theologicae determinatione subscriptum legi *Doctorem*, nondum Cancellarium: quorum munereungebatur Guillelmus Bernardus. Discimus vero à laudato Bullaeo, munus istud ab anno 1349. administrasse Joannem de Asiaco ad annum 1360. Grimerium Bonifacii ad annum 1370. Joannem de Calore ad annum 1380. Joannem Blanchardum ad annum 1387. Joannem Guiguecurtium ad annum 1389. Petrum de Alliaco ad annum 1395: quod ipse Cancellariatum ejuravit in gratiam Joannis Gersonis. Quorum haec omnia? Ut liquido pateat, errorem propinari à Villanio, & Landino, qui Robertum de Bardis Cancellarii Parisiensis munere functum narrat annis quadraginta: (*la quale Cancellaria governò circa anni XL.* ait Villanius: *il quale fù Cancellero dello studio per lo spatio di quaranta anni,* ait Landinus:) quo ex numero sex & viginti anni demendi sunt. Mortem obiisse Robertum anno 1349. testatur Bullaeus: non apparet emortualis annus in Codice Villanii, quem publici juris fecit Mazzuchellus; hunc vero annum Christi 1592. definiunt Michael Pocciantius saeculi sexi decimi scriptor, & Hieronymus Negri. An ergo Robertus anno 1349. quem designat emortuale Bullaeus, Cancellarii munus abdicaverit? Praesto mihi non sunt monumenta, quae difficultas, si qua est, tuto expediri queat. At si iudicium censorium in articulos erroneos (dixerim ego) inveniri nullum potest, quod Roberto de Bardis, dum Cancellari

rii munere fungebatur, pro ea tribuendum sit, qua potiebantur, Bulæo adnotante Tomo IV. citato, Dissertatione prima, Cancellarii Parisiensis facultate, jam eo fidentius adferendum videtur, haud umquam censuram aliquam, maximeque in Aquinatem inter cælitates recens cooptatum, latam ab eo fuisse, veluti Doctore Parisiensi, qui poterat quidem pro data occasione in consilium vocari, sententiam ferre ac definitionem non poterat.

Quid est verò quod ipse post *Magistrum Sententiarum* (dopo il *Maestro delle Sentenze*, ut ait Villanius,) damnaverit &c. ? An fuerit ipse, qui celeberrimi hujusce Auctoris naves patefecerit ac etiam notaverit? Ad quatuordecim capita eos revocat S. Antonius in Summa Parte IV. titulo XI. capite VII. & sex supra viginti numerantur in Additione ad ipsum Magistrum typis excusa, ut Bellarminus adnotat: at hujusmodi animadversiones nemo hæcenus Roberto de Bardis adjudicavit. Qui est præterea quod ipse damnaverit triginta & octo errores, ex Alberto Magno & Thoma Aquinate decerptos? An solus ipse, an ab Antistite Parisiensi in consilium vocatus, an simplex Doctor & Magister, an Cancellarii munere fungens? Hæc præterit omnia Villanius. An solemnitas hæc fuerit condemnatio? Sed acta publica, & monumenta præferuntur nulla. An privatum ipsius Roberti dici debeat examen, & iudicium? Illud ergo Villanius nimium amplificat. Ait enim: *Fù di tanta autorità* (ampullatur nempe,) *che questa erronea damnatione* (utique erronea, & damnanda ipsa condemnatio foret) *nessuno poi ha ardite in alcun passo riprovare* (pergit ampullas nimia confidentia projicere Villanius.)

Tot ergo vitis cum scateat narratio Florentini Historici, nullus dubito quin etiam cubet error in ea narrationis parte, quæ latam censuram refert in triginta & octo Alberti Magni, & Thomæ Aquinatis theses. Fabellam ergo sciens & volens procuderit Villanius, quam alii post ipsum cecinerunt? Deceptus erravit: originemque erroris mihi videor detexisse. Paucis animadvertenda propono, quæ latiore Sermone num. 111. enarrata sunt: *Robertum de Kildwardbi* Archiepiscopum Cantuariensem in Anglia triginta & unum, vel triginta, ut alii numerant, anno 1277. damnasse articulos, quorum nonnulli philosophica Thomæ dogmata enunciabant: hanc censuram, tametsi ornatissimi Viri eam improbant, à Joanne Pekamo in eadem Sædem suffecto confirmatam esse anno 1284. & anno 1286. alios octo additos fuisse ab eodem Pekamo, damnatosque articulos, qui Thomæ doctrinam de unitate formæ substantialis in homine, ac inde deducta confectaria complectebatur. Nactus itaque fuerit Villanius manuscriptum quemdam Catalogum triginta & octo hujusmodi articulorum: inscriptum legerit *Robertum* istius censuræ, quod ad majorem articulorum partem attinet, auctorem: ipsumque denique cognomen *de Kildwardbi*, aut difficili compendiaria nota scriptum, aut litteris evanescentibus obscuratum, aut præcipiti oculo lectum, mutaverit in cognomen *de Bardis*: ab eoque latam censuram illam à Roberto de Bardis, dum Parisiis degeret, & Cancellarii fungeretur munere crediderit. Quidni enim res ita se habeat? Articulorum triginta & octo numerus, Thomæ Aquinatis etiam Alberti doctrina in eisdem contenta, nomenque Roberti qui censuram tulit, conveniunt: ac facile demum fuit cognomen *de Kildwardbi* ob eas, quas innumus, causas in illud commutare *de Bardis*. Hæc satis.

FINIS.

# I N D E X

## DISTINCTIONUM, ET PARTITIONUM SECUNDI LIBRI Sententiarum Magistri Petri Lombardi.

### DISTINCTIO I.

U Num esse rerum principium ostendit, non plura, ut quidam putaverunt.

Quod hæc verba, *facere*, & *agere*, non dicuntur de Deo secundum eam rationem, qua dicuntur de creaturis.

Quare rationalis creatura facta sit.

Quare creatus sit homo, vel Angelus.

Ad quid creata sit rationalis creatura.

Brevissima responsio, cum quaeritur, quare, vel ad quid facta sit rationalis creatura.

Sicut factus est homo, ut Deo serviret, sic mundus ut serviret homini.

Quomodo aliquando dicitur in Scriptura: Homo factus est propter reparationem angelici casus.

Quare sit homo institutus, scilicet ut anima sit unita corpori.

Post Sacramentum Trinitatis, de creatura tripartita est agendum, & prius de digniori, id est angelica.

### DISTINCTIO II.

Quæ consideranda sunt de Angelis.

Quando facti sunt Angeli, prius dicit: in quo videntur sibi obviare auctoritates.

Quod simul creata fuerit corporalis, & spiritualis creatura.

Quod nihil factum est ante cælum, & terram, nec etiam tempus: cum tempore enim creata sunt, sed non ex tempore.

Quod simul cum tempore, & cum mundo cœpit corporalis, & spiritualis creatura.

Utrum Angeli mox creati, fuerunt in empyreo, scilicet quod statim ut factum est, Angelis fuit repletum.

Quod simul creata est visibilium rerum materia, & invisibilium natura, & utraque informis secundum aliquid, & formata secundum aliquid.

Quomodo dicat Lucifer secundum Isaiam: *Ascendam in cælum, &c.*

### DISTINCTIO III.

Quales facti fuerint Angeli, & quod quatuor eis attributa sunt in ipso initio suæ conditionis.

An omnes Angeli fuerunt æquales in tribus, scilicet in essentia, in sapientia, in libertate arbitrii.

Dicit, quod differentes fuerunt in illis.

Quæ communia, & æqualia habuerunt Angeli.

An boni vel mali, iusti vel iniusti, creati sint An-

geli; & an aliqua mora fuerit inter creationem, & lapsum.

Opinio quorundam dicentium, Angelos in malitiam creatos, & sine omni mōta cœrruisse.

Aliorum sententia præbabilis, qui dicunt omnes Angelos creatos esse bonos, & aliquam fuisse mortalem inter creationem, & casum.

Probationem Augustini contra illos inducit qui dicunt, Angelos factos malos; & verba etiam Job determinat, quæ illi pro se inducebant.

Quomodo intelligenda sint verba Domini præmissa, differit, evidenter tradens Angelos esse creatos bonos, & post creationem cecidisse.

Quod triplex fuit in Angelis sapientia ante casum, vel confirmationem.

An aliquam Dei habuerint dilectionem, vel sui invicem.

### DISTINCTIO IV.

An perfectos, & bonos creavit Deus Angelos, an miseros, & imperfectos.

Quod opinando hæc dixerit, non asserendo, scilicet quod Angeli qui perseverant, præfati fuerint sui boni.

Summa colligitur prædictorum, confirmans omnes Angelos ante confirmationem, vel lapsum non fuisse beatos, nisi quis beatitudinem accipiat illum statim innocentiae.

Responsio ad id quod quaerebatur, an Angeli essent creati perfecti, an imperfecti: & dicitur, quod perfecti fuerunt secundum aliquid.

Quod tribus modis dicitur perfectum, secundum tempus, secundum naturam, & universaliter perfectum.

### DISTINCTIO V.

De confirmatione, & conversione stantium, & aversione, & lapsu cadentium.

De libero arbitrio breviter tangit quid sit.

Post creationem aliquid datum est stantibus, per quod converterentur; nec merito aliquo, sed gratia cooperante.

Qua gratia indigebat Angelus, & qua non.

An sit imputandum illis quod aversi sunt.

Qua culpa, gratia non est data eis qui ceciderunt.

Quod Angeli in ipsa confirmatione beati fuerunt; sed utrum eam meruerint per gratiam tunc sibi datam, ambiguum est: de hoc enim diversi diversa sentiunt.

### DISTINCTIO VI.

Quod de majoribus, & de minoribus quidam ceciderunt.